

gegen das Reichskloster tat dann das Uebrige ». Auch H. FIEDLER will in *Dome und Politik*, S. 120, dem Neuwerker Propst eine Gloriole zuerkennen: « Um die Zeit des stauischen Dombaus ist die unbeirrbar Festigkeit des Prämonstratenserordens gleich durch zwei ungewöhnlich charaktervolle Persönlichkeiten belegt: durch Heinrich Minnike, Propst von Neuwerk und durch Wichmann, Propst des Liebfrauenklosters in Magdeburg ».

Dr. Martin FITZTHUM, O. Praem.

Stift Tepl.

De "Jansenismo" in Ordine Praemonstratensi.

Historia « Jansenismi » nondum ex omni parte obvia est. Ex iis autem quae ultimis annis a P. Luc. CEYSSENS, O. F. M., detecta fuerunt in antiquis libellis et manuscriptis et ab ipso tam scite et erudite variis locis jam publicata fuerunt, consequitur sub nomine « Jansenismi » non raro designari doctrinas quae vere a Summo Pontifice damnatae fuerunt et manent; sed etiam tendentias theologicas et morales de quibus jure dubitari potest utrum revera et realiter conveniant cum iis quae damnatae fuerunt ab auctoritate ecclesiastica.

In litteratura de Jansenismo etiam plures Praemonstratenses citantur. Fuerintne vero Jansenistae sensu stricto, vel an potius apud ipsos potissimum, et forte unice tantummodo cura fuerit de retinenda summa auctoritate Sancti Augustini, jure inquiri potest.

In Capitulis Provincialibus Circariae Brabantiae annorum 1620 et 1718 fuse de hac quaestione actum est; atque decisiones ex parte Capitulorum latae fuerunt. In quibus, tacendo de disputationibus tunc acriter vigentibus inter fautores et adversarios « Jansenismi », positive auctoritas S. Augustini in materia de Gratia extollitur, et doctrina vere augustiniana de Gratia a Praemonstratensibus retinenda praescribitur (Cfr. N. WEYNS, *De Brabantse Norbertijnen en het Jansenisme: An. Praem.*, XXIX, 1953, 5-66; J. B. VALVEKENS, *Capitulum Generale anni 1717 et « Jansenismus »: An. Praem.*, XXXV, 1959, 153-163).

Recenter, decurrente anno 1957, L. CEYSSENS, O. F. M., duo volumina edidit, in quibus multa documenta congeruntur, historiam « Jansenismi » vere illustrantia, saltem pro regionibus hodierni

Belgii. Edidit, in *Bibliothèque de la Revue d'Histoire ecclésiastique*, fasc. 31: *Sources relatives aux débuts du Jansénisme et de l'Antijansénisme*, Lovanii, 1957, pp. LXXIV+692. Edidit idem auctor, uti fasc. VIII *Bibliothèque de l'Institut Historique Belge de Rome*, librum: *La correspondance antijanséniste de Fabio Chigi, nonce à Cologne, plus tard Pape Alexandre VII*. Roma, pp. ix-241.

Ut ab ultimo hoc volumine exordium sumamus, Fabius Chigi, cuius litterae receptae et transmissae de « Jansenismo » hic eduntur, Nuntius Apostolicus fuit Coloniae durantibus annis 1639-1651; postea dignitate cardinalitia fuit insignitus, Summus Pontifex fuit, sub nomine Alexandri XII, durantibus annis 1655-1667. Liber famosus ipsius Jansenii, « Augustinus » publicatus fuit anno 1640. Tunc Urbanus VIII erat Summus Pontifex, deficiente valetudine non parum laborans.

Nepos ipsius, Cardinalis Barberini, ad cardinalatum evectus anno 1623, postea directione Secretariae Status atque secretariatus S. Congregationis S. Officii insignitus est. Hac ratione, ipsi praeprimis incumberebat disputationes circa exortum « Jansenismum » examinare et dijudicare. Assessor Congregationis S. Officii erat Fr. Albizzi.

Nuntius Apostolicus Coloniae erat Fabius Chigi, inde ab anno 1639. Nuntiatura Apostolica in civitate Bruxellensi tunc vacavit per plures annos; ita ut, tempore exorti Jansenismi, Nuntio Apostolico Coloniensi munus instructionis faciendae de Jansenismo speciali modo obveniret. Idem Chigi speciali affectione ducebatur erga PP. Societatis Jesu, qui, uti omnes norunt, non parum adversi erant tendentiis omnibus theologicis, quae tunc uti jansenianae efferri solebant. Litterae proinde missae a Chigi Card. Barberini, sicuti et litterae hujus Cardinalis transmissae Nuntio Chigi plures notitias valde concretas tradunt eventuum quae occasione exorti Jansenismi acciderunt.

Quod autem a P. Ceyssens editur in majori volumine publicato Lovanii, apud *Revue d'Histoire Ecclésiastique*, litteras numero 618, integras aut partim editas, continet, de eadem materia indicata tractantes (indicato semper loco in quo litterae illae inventae fuerunt), et hoc speciatim pro annis 1640-1643. Accedunt compendia olim facta pro Congregatione S. Officii documentorum quae in hoc Dicasterio de Jansenismo tunc aderant, a P. Rapin, S. J. (versus a. 1668) et a Card. Tamburini (versus a. 1752).

Nostrum intentum nullo modo est ea quae a P. Ceyssens col-

lecta sunt, in compendium redigere. Solummodo illa annotare volumus quae exposita olim a N. WEIJNS in nostris *Analectis*, l. c., nunc majori lumine perfundi possunt.

Non immoramur in iis quae exponuntur in *Sources*, p. XLII, de asserto P. Wijns, S. J., qui compositionem biographiae cujusdam P. Lessii, S. J., tribuit a L. Schoofs, canonico S. Michaelis Antverpiensis.

Siquidem P. Ceyssens, in alio loco, probavit Schoofs nostrum nullas partes habuisse in hac biographia componenda, quae de coetero mox in Indicem librorum prohibitorum relata est (cfr. *An. Praem.*, XXXV, 1959, 186).

Inter ea quae in litteris editis aut indicatis a P. Ceyssens II. cc. leguntur praemonstratensia, quatuor potissimum capita habentur: 1. Praeses Collegii Norbertini, in civitate Lovaniensi, J. a Lapide, seu Van den Steen, canonicus Grimbergensem, die 4 Maii 1641, orationem funebrem habuit in ecclesia S. Petri Lovanii, in laudem Jansenii. Haec oratio funebris impressa et evulgata fuit Lovanii, anno 1641 (cfr. N. WEYNS, l. c., pp. 8-12); 2. De abbate Parcensi, J. Masio (cfr. N. WEYNS, l. c., pp. 18-21); 3. De thesibus theologicis quae occasione Capituli provincialis in abbazia S. Michaelis Antverpiensis, publice defendi debuissent circa doctrinam S. Augustini de Gratia a canonico S. Michaelis, Overhusio (cfr. N. WEYNS, l. c., pp. 22-28); 4. Canonicus Ninivensis Cobbaert, anno 1647 edidit librum: *Rhythmica consideratio... super salute consilii divinum ex sanctissimo... Augustino... proposita*. Et haec quaestio saepe tangitur in litteris publicatis a P. Ceyssens (cfr. N. WEYNS, l. c., pp. 36-43).

Abbates Praemonstratenses illo tempore suspectos esse de nimia adhaesione doctrinis Jansenianis, ex non paucis litteris sequitur. Ita, inter alia, scribit, provincialis Soc. Jesu, Andreas Judoci P. Vitelleschi, Generali Societatis, die 24 Januarii 1641, de fautoribus Jansenismi: « Non quiescunt tamen, iuncti abbatibus Ordinis Praemonstratensis, apud quos D. Fromondus aliquando lectorem egit (fuerat Fromondus, postea professor universitatis Lovaniensis, et co-editor libri Jansenii, *Augustinus*, per tres annos philosophiae lector in abbazia S. Michaelis Antverpiensis) pergunt ubique, etiam in pagis, licentiatos theologiae urgere ad subscribendum doctrinae Jansenii ». Idem fere scribit P. Judoci, die 23 Januarii 1642, Nuntio

Coloniensi, Chigi. « Janseniani, DD. Fromondus et Sinnich, cum abbatibus quibusdam Praemonstratensibus, in quorum monasteriis ille lectorem egit, rogant quoscumque possunt licentiatos theologiae, etiam pastores pagorum, ut subscribere velint doctrinae Jansenii idque iam a multis impetrarunt, qui solis nominibus archiepiscopi (Jacobo Boonen), abbatum et duorum doctorum permoti, controversiae ignari, ferventer stant a Jansenio ».

1. *Oratio funebris J. a Lapide.*

Ex permultis indiciis consequitur orationem funebrem istam maxima gavisam esse fama. Iterum iterumque sermo fit de illa in litteris a P. Ceyssens editis. In epistola P. Crom, S. J., missa P. Van der Veken, asseritur orationem hanc fuisse redactam « inventore, direttore, et dictatore Fromondo », qui « forte etiam ex parte libri ipsius auctor et interpolator »: quae quidem asseruntur a P. Crom, sed nullo modo probantur. Oratio pronuntiata a Lapide nota est in academia Duacena. In litteris in hac civitate scriptis a P. Le Pessier, S. J., et Patri Crom missis, dicitur: « Vidimus hic *Orationem* a Norbertino quodam habitam 4 huius in aede S. Petri. Mirati sumus hominis confidentiam ac maledicendi libertatem (16 Maii 1641). Die 20 Maii 1641, P. De Tollenaere, Provincialis Soc. Jesu, in provincia neerlandico-belgica, scribit P. Mundbrot, Assistenti Generali Soc. Jesu, in Urbe: « Ponitur inter elogia Jansenii ab eius encomiaste, quod dicere soleret (Jansenius) se idcirco a Deo creatum, ut verum sensum sancti Augustini, orbi ignotum, traderet; quod valde superbe dictum videtur, quasi ille solus sciperet ». Iterum de eodem scribit P. De Jonghe, S. J., Romae, et quidem P. Allegambe (mense Junio 1641): « Hic (nempe Prof. Sinnich, universitatis Lovaniensis) quoque auctor fuit canonico norbertino Joanni a Lapide, ut *Orationem* illam *funebrem* pro Jansenio, acrem in nos invectivam, componeret, quam ipsemet pluribus flosculis exornavit, Illmo Mechliniensi (scil. Boonen) episcopo priusquam ederetur, exhibuit ». Die 5 Julii 1641, P. Bollandus, S. J., scribit Reverendissimo Vidman, in Urbe commoranti, archiepiscopum Mechliniensem, alios incitasse ut in favorem Jansenii scriberent: « cum multis etiam acrius eos ipse ad scribendum stimulasse videatur et constet, cum abbates quidam Ordinis Praemonstratensis edi illam Joannis a Lapide *orationem* nollent, sua auctoritate effecisse ut assentirentur ».

Die 1 Augusti 1641, a S. Congregatione S. Officii, plures libri

in Indicem reponuntur. Inter illos: Cornelii Iansenii, Iprensis episcopi, etc. *Laudatio funeralis* dicta a Rev. Fratre Ioanne a Lapide, etc. Lovanii, typis Bernardini Masii, etc.

Die 22 Augusti 1641, P. De Tollenaere, S. J., scribit suo confratri P. Crom, Lovanii commoranti: « Addam quod aliunde intellexi D. Joannem a Lapide habere paratum librum triplo spissiore quam sit *Oratio*, contra flosculos oratorios, sed Abbas Grimbergensis hactenus non permittit ut edat, etsi varii monachi id conentur impetrare » (Abbas erat tunc Outers).

Prodiit illo tempore libellus cui nomen « *Somnium Hipponense* » ; cumque audiret A. Lapide, a nonnullis asseri se esse auctorem illius libelli, die 11 Novembris 1641, litteras mittit P. Crom, studiorum praefecto in Collegio Maximo Soc. Jesu Lovanii. In litteris istis, inter alia haec legimus: « In fide sacerdotis profiteor, me neque *Somnii* illius ullo modo auctorem fuisse neque de eius auctore etiamnum plus scire quam de hora mortis meae, quod et iureiurando rigidiore formula libenter confirmabo ubi RR. VV. intellexero hoc placere. Clandestini isti fictique alios monendi modi mihi maxime exosi sunt, sicut et quicumque sinceritatis christianae et religiosae fuci ; indignum enim sincerissimi Patris nostri Augustini discipulo Ordinis nostri candore iudicavi semper, et etiamnum iudico veritatem christianam quocumque velatoriae artis mangonio adulterare ; si quid in veritatis defensionem dici oportet clare id exprimo et nominis mei titulo praenotatum edidi et, Deo bene iuvante, edam imposterum, nec nisi matura deliberatione adhibita servatisque omnibus quae in electionis negotio adhibenda praescipsit filiis suis Sanctus Pater Vester meusque in Domini magister Ignatius in aureo *Exercitiorum* suorum libello... ». P. Crom respondet die 12 Novembris 1641, se tale quid numquam asseruisse. Iterum longe lateque scribit a Lapide ; explicans (14 Novembris 1641), Patri Crom, quomodo egerit in componenda et edenda Oratione funebri. Scribit inter alia: « Novit Dominus, in cuius incommutabilis veritatis luce haec scribo, quantis apud maiestatem suam egerim precibus, quantis suspiriis, ut nihil in *Oratione* illa dicerem quod a charitate christiana et religiosa deviaret ; quantum potui, increpationis amaritudinem dilectionis dulcedine temperavi ; laudans Societatem vestram non fecte, Deus testis est, sed in veritate ; quia in eadem veritate illam diligo ; si medicina displicuit quam de manu Domini, quantum existimo, accepi, non mihi imputetur ». Iterum respondet P. Crom. Tandem P. A. Judoci, pater provincialis Soc. Jesu, die 20 Novembris

1641, de hac re scribit Patri Crom: « Consultores meos hic habebam, cum accepi litteras R. V. et D. Ioannis a Lapide, quas illis praelegi. Indigne scripsit bonus ille monachus, neque ulterius meretur responsum. Videtur affectasse scriptiorem contemplantium, sed non humilitatem ». In Litteris annuis Collegii Soc. Jesu Lovaniensis, anni 1641, ad idem rursus reflectitur his verbis: « Jansenio ante duos annos eoque plus mortuo, iam demum in academia exequiae inducuntur, repertusque est vir religiosus (Ioannes a Lapide) ex Praemonstratensium ordine, qui provinciam hanc susciperet, Jansenium pro concione laudandi, hoc est una hora calumniandi nostros ». Tandem, in summario documentorum servatorum in archivio S. Officii confecto a Fortunato Tamburini de Oratione prolata a Lapide, haec dicuntur: « Diffende Giansenio delle ingiurie detteglie dalle conclusioni de' Gesuiti in occasione di questa funebre orazione ». Similiter eadem fere ratione de hac Oratione funebri scribit nuntius Chigi Cardinali Albizzi, die 8 Junii 1641.

2. De Abbate Parcensi, Masio.

In litteris P. De Tollenaere, Prov. Soc. Jesu, diei 22 Novembris 1640, P. De Tollenaere, provincialis Soc. Jesu, scribit P. Crom: « *Augustinus* Jansenii incipit hic turbas movere; qui illum legerunt proferunt absurdas eius sententias, inter quos est Abbas Parcensis, et alii ». Inter testimonia, quae anno 1641, proferuntur in defensionem libri Jansenii, « *Augustinus* », testimonium abbatis Masii adest. Die 7 Julii 1742, abbas Masius, longam scribit epistolam, missam cuidam « *Amplissimo Domino* » in favorem professoris Lovaniensis Sinnich, Jansenii defensoris. De eadem re epistolam mittit professori ab Angelis, die 25 Julii 1642. Post responsum acceptum, ex parte Prof. ab Angelis, iterum huic scribit Masius, die 28 Julii 1642, iterum de eadem re Prof. ab Angelis litteras mittit, die 15 Octobris 1642.

Occasione Capituli Provincialis, Antverpiae celebrato anno 1643, canonicus S. Michaelis Antverpiensis, Overhusius, theses defendere voluit relate ad materiam de Gratia; hae theses impressae fuerunt, contra monitum episcopi Antverpiensis Nemii, qui de hac re scribit abbati Parcensi, die 28 Junii 1643. Ex epistola abbatis S. Michaelis Van der Sterre, novimus Masium de quaestione indicata sese informasse; tandemque litteris diei 3 Julii 1643, ipse Overhusius explicat suam agendi rationem.

Die 8 Julii 1643, Nuntius Apostolicus, Bichi, cui episcopus Ant-

verpiensis scripserat de thesibus defendendis in Capitulo Provinciali dicto, scribit bullam « In eminenti » contra Jansenium vere publicatam esse Romae, et exemplar Bullae transmittit. Iterum, die 23 Septembris 1643, Nuntius Bichi Abbati Masio scribit Bullam « In eminenti » Romae fuisse authentice publicatam; mirationemque suam exprimit abbatem Parcensem adhuc sustinere publicationem illam factam nondum esse. Respondet vero Masius, die 24 Septembris 1643, se nihil simile dixisse, aut colere. « Se enim tam reverentem Apostolicae Sedi quam qui calumnias has sparserit ». Tandem de eadem vexatissima quaestione scribit, die 17 Decembris 1643, J. Coomans, procurator generalis Ordinis in Urbe, et Praeses Collegii Ordinis in Urbe, abbati Masio.

3. *De thesibus defendendis in Capitulo Provinciali Antverpiensi.* Mense Julio 1643.

Inter litteras publicatas a L. CEYSSENS pluries de thesibus illis agitur.

Praeter illa quae a cfr. WEYNS, l. c., pp. 22-28 exponuntur, haec mentionem merentur inter publicata a CEYSSENS. Die 13 Julii 1643, epistolam mittit episcopus Antverpiensis, Nemius, Nuntio Apostolico, Bichi. « Disputationem » illam, et quidem solemniorem, omnino impediendam censet Episcopus Antverpiensis, Nemius. « Eodem tempore prolixam misi epistolam ad Rev. adm. Dominum Fratrem Ioannem-Chrysostomum Vander Sterre, dicti monasterii S. Michaelis abbatem, eundemque quantum potui argumentorum vi et rationum efficacia conatus sum monere et exhortari ad obediendum supradictis constitutionibus apostolicis, ac nominatim postremae constitutioni D. N. Urbani, divina providentia, papae VIII, cuius postremae constitutionis exemplar authenticum mihi transmisit Rma Dominatio Tua. Post argumenta et rationes apposui mandatum, quo dicto Domino Petro (Overhusio, qui theses dictas in Capitulo supra indicato defendere debebat) mandavi, et omnibus ad quos pertinere potest, adeoque ipsi abbati ut ab editione et disputatione dictarum thesium abstineant ». Nuntius Bichi haec omnia indicare Card. Barberini non negligit; in epistola diei 18 Julii 1643 haec tangit: « Guidico intanto bene di far sapere a V. Emza come con l'occasione del capitolo provinciale che si celebra in Anversa dalli Padri Premonstratensi si erano preparate alcune conclusioni da disputarsi, e fra le altre alcune da difendersi con la assistentia di Don Pietro Overhusio: *De gratia primi et secundi hominis*, le quale li parendo

a Mons. Vescovo di quella città, che ripugnassero alli decreto della Santa Sede, prohibi il passare avanti nella stampa et alli PP. Praemonstratensi il farle stampare et disputare e poi me diedi parte con mandare qui da me espressamente il suo nepote ». Additque Nuntius se ex Colonia comperisse aliquos Praemonstratenses asseruisse Episcopum in hac re excessisse jura suae competentiae. Finitque Nuntius exprimendo votum in hac re Praemonstratenses obedientiam praestare velle « spero che quelli Padri con obbedire di non disputarle haveranno levato ogni occasione di scandalo ».

Abbas Van der Sterre autem, ex sua parte, statim certiozem de hac re reddit Procuratorem Ordinis in Urbe, Coomans, litteris diei 3 Septembris 1643 (cfr. WEYNS, l. c., p. 29 s.). Theses illas Procuratori Coomans datae fuerunt a D. De Pape, cum is, cum delegatione Universitatis Lovaniensis, Romam adiret; ab ipso De Pape communicatum est litteris diei 13 Decembris 1643 abbati Masio se hoc fecisse.

De thesibus illis etiam agit P. Van der Veken, S. J., in litteris, mensis Julii 1643, missis Nuntio Coloniensi, Chigi. Ita scribit iste de Abbate Van der Sterre: « Novi optime illum Abbatem S. Michaelis. Cum Antwerpiae degerem, nimio contemplationis studio se ex homine transformarat in Archangelum Michaellem, iamque, utpote totus spiritus, per tres circiter dies cibum potumque respuerat. Curavit eum medicus Lusitanus, adhuc superstes, qui se Deum Patrem simulabat, cui etiam Archangelos in sumendo cibum respuerat ».

4. *De libro canonici Ninoviensis Cobbaert*. Cfr. N. WEYNS, *An. Praem.*, l. c., pp. 36-43.

De libro ineunte anno 1647 edito a Cobbaert, *Rhythmica consideratio Altitudinis Consilii Divini super salute generis humani...*, ita scribit P. Van der Veken, S. J., die 11 Februarii 1747, nuntio Coloniensi, Chigi: « Ante aliquot dies oblata mihi *Rhythmica...*, Bruxellis excusa hoc anno, auctore D. ac F. Petro Cobbaert, S. T. Licent. canonico Norbertino, in qua Ordinis sui tyronibus jansenismi fundamenta, ut lac christianum proponit, quo pasti in omni virtute, ac praesertim augustiniana humilitate, adolescant. Pax, uti spero, remediis efficacioribus adhibendis opportunior erit, vel hoc etiam nomine expetenda ». Liber iste Cobbaert ab episcopo Antverpiensi, Nemio, damnatus fuit, decreto diei 25 Februarii 1647. De hac decisione lata se gaudere declarat Chigi, scribendo die 12 Martii 1647 P. Van der Veken: « Gratissimum mihi fuit diploma D. Episcopi Antverpiensis ;

sed dolendum tam prae fracte obsisti pontificiis decretis ut et daemonia meridiana convellere se audeant et scommata insuper affigantur. Sperandum si pax fieret, felicius medelam posse afferri, alioquin serpet malum quotidie latius ».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Mondaye en Normandie. Trois illustres Abbés du XVIII^e siècle.

Les trois Abbés qui se succèdent dans la première partie du XVIII^e siècle sont plutôt nommés par le roi qu'élus par le Chapitre conventuel, mais nous devons constater que ces nominations furent bénéfiques pour notre monastère.

Philippe Lhermitte, abbé bâtisseur.

Le premier entre eux, frère Philippe Lhermitte, appartient à une famille de petite noblesse qui fut quelque temps possessionnée dans la région de Falaise, à Fresné-la-Mère et à Villy.

Né en 1652, il entra à vingt ans chez les Prémontrés d'Ardenne, où il fit profession le 30 octobre 1672. Tout aussitôt il fut envoyé à l'abbaye de Silli-en-Gouffern, où il resta cinq ans. Après un séjour à Saint-Jean-de-Falaise, nous le retrouvons exerçant les fonctions de Sous-Prieur, de professeur de Théologie et de Maître des Novices.

En 1691, un Chapitre tenu à Paris l'envoya avec une obédience de Prieur de Saint-Jean-de-Falaise. Après quatre années de fonction, il revient chez nous pour y exercer la même charge.

Il était depuis un an Prieur de notre résidence parisienne du Saint-Sacrement quand, en 1704, il fut gratifié par le roi Louis XIV de l'abbatiate de Mondaye. Il avait alors cinquante-deux ans.

Un portrait de lui, peint à cette époque, nous le représente de taille moyenne, un peu replet, le front largement découvert. Tout respire en lui la santé morale et intellectuelle, l'équilibre et la bonté. Une flamme jeune s'attarde dans les yeux bleu-clair, rendant l'homme sympathique.

L'œuvre maîtresse qui marquera son abbatiat sera la construction de l'église abbatiale actuelle. C'est ce qu'en termes discrets affirme le Rme Père Reusse dans son « Journal de Mondaye ». « Le Père Lhermitte, profès de la réforme, est si zélé pour la gloire de Dieu que dès qu'il fut Abbé il mit tous ses soins à disposer des matériaux pour bâtir une nouvelle église ; celle qui subsistait ne